

**Desmarescaux,
Antoine-François-Placide-Joseph -
candidat / Maigret,
Jean-Baptiste-Alexandre - président. -
An panis ut cuique acceptissimus est,
ita saluberrimus ?**

1783.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°95***



DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO.

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ;
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ mensis
Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXXIII.*

M^o. JOANNE-BAPTISTA-ALEXANDRO
MAIGRET, Doctore Medico, Præsidente.

An panis ut cuique acceptissimus est, ita saluberrimus?

I.

PANEM in europâ novêre omnes; quid sit, quîve fiat,
vel ipse novit idiotæ. Scit quippe idèò frumentum capi;
moli; misceri aquæ ac depsi; atque ubi in debitum fermen-

tationis motum ruit ; demùm in panem coctione mutari. At verò, quod dicendum est ; multùm differt panis a pane, & quidem magis quàm ipsum, undè est, a frumento frumentum. Licet enim panis qualitas qualitatem frumenti sequatur ; variis ille modis perfici aut depravari potest. Hæc artem pistoriam fundant. Hic verò loci, singula illa proferre cùm esset longius ; ad molituram, repurgationem, fermentum, fermentationem, ac coctionem omnia redire, tantùm annotabo. Suppono ergò frumentum eligi bonæ notæ ; &, quæ summa quidem pistoris laus est, in toto panis artificio, ritè scitèque procedi : ista autem mihi cùm paravero, optimum quoque panem tùm expectabo.

I I.

SED addendum est, solo furfure rejecto, vitandam hîc esse quamlibet castrationem ; debere constare panem frumento integro : amylo itaque, glutine ac substantiâ mucoso-saccharinâ, etsi reipsa paucissima. Etenim, si gluten demitur, reliqua duo elementa, in panem tantùm vix reficientem, & non nisi laboriosè compingi queunt ; dùm contra, si tria sunt, ac debitæ ferventur pistoriæ artis regulæ, absolutus fit & exquisitus. Est igitur hîc mixtio necessaria : nec una illorum trium natura. Finge enim tibi ipsum fermentationis stadium ; & ecce, velut animalia, sale gluten turgēbit volatili ; amylacea acēscet substantia ; mucoso-saccharina in proximum ruet vini motum intestinum. Quid porrò ex his tribus massæ subactæ fermentationibus, reverà præcisè fiat ? ignoratur ; at quod tamen potissimum erat scitu, innotuit, frumentum inde in panem ferè conversum.

I I I.

PERGE autem & coque. Hic erit cibus singulis verè accommodus. Quisquis enim fuerit : puellus aut puella ; impubes vel adolescens ; mediæ ætatis vir aut senex : gallus aut angulus ;

polonus aut turca : quamcunque facitet artem ; quamcunque vitam agat : cibos si appetit & sanus est , panem nullus cum delectamento non arripiet ; illum nullus , cum molestiâ devorabit ; illum nullus non faciliè digeret. Erit quidem unum singulis omninò servandum : sed commune omnium ciborum est , ventriculi nimirum sui virium modus. At quod proprium ferè panis habendum , hoc est , quod non ipsis tantum placeat inassuetis ; sed & nullam iis turbam importet. Hinc autem , ni fallor , summa ejus asseritur dignitas , & signatur primus , quem meritò occupet inter alimenta , locus.

I V.

INTERIM verò panis , omnes promiscuè si enutrire potest , non omnibus saltem easdem infert sensationes. Vividum pauperes ac jucundissimum ab illo saporem percipiunt ; non item verò divites : sed hujus hanc accipe causam. Hi scilicet aromatis ac balsamis indiarum orientalium , aut etiam jamaicæ piperibus , mirâ quidem arte conditis , retusas habent linguæ papillas ; illi autem minimè : undè , credo , fit ; ut cum pauperibus exsurdatum non sit palatum , iis videatur panis sapidior , ideòque etiam adameretur magis quàm divitibus. Scio equidem & ipsos panem amare divites , sed non ita solum ; ac sæpè etiam , quantum in illis est , ejus intendere saporem & exacuere. Hi enim norunt panem esse penetrabilem : posse itaque , intra poros ejus & diverticula , omnia ferè admitti corpora : neque ignorant , hæc si sana ac jucunda sunt , indolis suæ suæque jucunditatis , nullam ibidem facere jacturam : quin etiam , si acria , mitescere : quare plura pani admisceri jubent. huc verò usque ars coquinaria , non ita condemnanda.


V.

EXSURGUNT tandem panis obtrectatores. Dicunt non multum alere panem , sed parcè , neque pro pondere : ideòque hanc demandant provinciam soli ferè glutini : sed futi-

lia hæc sunt : undelibet enim nutrierit panis , nutrire eum , neq parçè , usus probat quotidianus. At reponunt tot esse regionibus panem ignotum : quid indè ? si optimus. Ac tùm , quid opus allegare turciam ac perfidem , russiam , sinarum ac japonum imperia & magnam , ut loquuntur , tartariam ? quid opus in medio proferre africanam penè integram totamque ferè americanam ? si , rursus dico , panis est optimus ; illaque ipsa loca , quæ memorant , panis habeant alimenta succedanea ; ita verò est. Sed graviolem denique struere videntur difficultatem : materia , niquiunt , glutinosa , suo lentore nocebit : Hoc esto verò in pulte & apud debiles , neque nego ; in pane , falsum est. Hic enim eam ita solvit fermentatio ac fudit , ut tùm etiam extricari non possit & colligi. Nullum igitur panis habet incommodum ; nullo vitio maculatur ; nullisque non potest & debet extolli laudibus. Ut enim blandi , ut suavis est odoris ! ut saporis jucundissimi ! ut refocillat ! ut nutrit ! verbo , ut se eum præbet ! quem sanus usquàm fastidierit , aut molestè tulerit nemo. Addam tamen coronidis instar , pane hominem non refici modò , sed eam quoque ipsam , quæ voratis carnibus , ovis ac piscibus subindè putredo inducitur , illo quidem præcaveri ac corrigi. Undè demùm concludere non dubito.

Ergo panis ut cuique acceptissimus est , ita saluberrimus.

Proponebat Parisiis , ANTONIUS - FRANCISCUS - PLACIDUS - JOSEPHUS
DESMARESCAUX , Tornacensis , Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus , Theses Author. A. R. S. H. 1783. AB OCTAVA
AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU , Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1783.